W
R
IN DEFENCE
HONI SOIT QUI MAL Y PENSE
DIEU ET MON DROIT
NEMO ME IMPUNE LACESCET

W
R
IN DEFENCE
HONI SOIT QUI MAL Y PENSE
DIEU ET MON DROIT
NEMO ME IMPUNE LACESCET

LITERÆ PATENTES

Seu Conceſſus, ſub

Magno SCOTIÆ Sigillo,

Societati in Affricam & Indias Commercium Agenti.

Per Actum Parliamenti ejuſdem Regni.



EDINBURGI:

Excudebant Hæredes *Andreæ Anderſon* Regis Typographi. In Uſum Societatis prædictæ, 1695.

GVLIELMVS, Dei Gratia *Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ* Rex, Fideique Defensor. *Omnibus* Probis Hominibus ad quos presentes *Literæ Nostræ* pervenerint, *Salutem. Quandoquidem Nos* Considerantes, quod per Actum Currentis Nostri Parliamenti (cui Titulus est, *Actum pro augendo externo Commercio.*) *Nos* pro ejusdem Melioratione cum Avisamento & consensu Ordinum Parliamenti, *Statuimus & Ordinavimus, Quod* Liceret Mercatoribus pluribus seu paucioribus contrahere & sese *Associare* in *Societates* pro promovendo Commercio, quoad qualecunque *Subjectum* Mercaturæ seu bonorum ad quæcunque Regna, Terras, seu Regiones Orbis (inter quas & nos bellum non est) ubi Commercium agi solet vel poterit; *Speciatim* vero præter Regna & Regiones *Europæ* ad Orientalem & Occidentalem *Indiam*, Fretum Gaditanum (Anglice *Streights*,) & in Mari Mediterraneo, vel in Littore *Affricæ*, vel Locis Septentrionalibus, aut aliter ut Supradicitur. *Quas* quidem *Societates* contractas & initas in terminis & secundum morem in ejusdem *Societatibus* erigendis observatum, & prout usus est in aliis locis (omnimodo Consistentium cum Legibus hujus *Regni Nostri.*) *Nos* cum consensu prædicto *Ratificavimus & Approbavimus*, Dando & Concedendo iis & unicuique earum, omnes Pote-

ſtates jura & Privilegia, quoad earum perſonas, Regulas & *Statuta*, quæ ſecundum Leges conceduntur *Societatibus* illis quibus licet erigi pro Manufactoriis. *Noſque* etiam pro ulteriori earum incitamento Promiſimus dictis *Societatibus* & ſingulis earum, concedere *Literas Noſtras Patentes* ſub Magno Noſtro Sigillo confirmantes iis omnes dictas Poteſtates & Privilegia, & quicquid amplius *Nobis* viſum fuerit, pro majori earum incitamento prout dictum *Actum Parliamenti* amplius in ſe continet. *Nos* etiam intelligentes, quod plurimi tam Exteri quam ſubditi hujus *Noſtri Regni*, cupidi ſunt ſeſe *Aſſociare* cum ingentibus Pecuniarum ſummis in *Americano*, *Africano*, & *Indiano* Commercio exercendo, in, & à dicto hoc Noſtro *Regno*, Si capaces redderentur & animarentur, per *Conceſſiones*, Poteſtates, & Privilegia in hujuſmodi caſibus neceſſaria & uſitata. Ideoque & in proſecutionem dicti *Acti Parliamenti*, *Nos* cum aviſamento & conſenſu dictorum *Ordinum Parliamenti*, per præſentes *Facimus* & *Conſtituimus* Joannem Dominum de Beilhaven, Adamum Cockburn de *Ormeſtoun* Noſtrum Juſticiarium *Clericum*, Magiſtrum Franciſcum Montgomorie de *Giffen*, Dominum Joannem Maxwell de *Pollock*, Dominum Robertum Cheiſlie præſentem *Præpoſitum Edinburgi*, Joannem Swyntoun de *eodem*, Georgium Clerk nuper *Balivum Edinburgi*, Magiſtrum Robertum Blackwood

wood & Jacobum Balfour Mercatores *Edinburgi*, Joannem Corſe Mercatorem in Civitate *Glaſcoæ*, Gulielmum Paterſon, Jacobum Foulis, Davidem Nairne & Thomam Deanes *Armigeros*, Jacobum Cheiſlie, Jacobum Smith, Thomam Coutts, Hugonem Fraſer, Joſephum Cohen D'Azevedo, & Walterum Stewart Mercatores Londini, cum ejuſmodi aliis qui ſeſe iis *Aſſociabunt* intra ſpatium Duodecim Menſium poſt Primam Diem Menſis Auguſti proximè ſequentis Omnibuſque aliis quos perſonæ ſupranominatæ & qui cum iis *Aſſociantur*, vel major pars eorum unâ Congregati, admittent & *Aſſociabunt* in Conjunctam ſuam ſortem & *Commercium*; *Qui* omnes reputabuntur tanquam hic ab Origine inſerti, *In unam Societatem* Incorporatam & Liberam Incorporationem cum perpetua ſucceſſione, cui Titulus erit, *Societas Scotiæ in Africam & Indias Commercium Agens*: *Proviſo* omnimodo, ſicuti per præſentes primo loco providetur, *Quod* de *Sorte* ſeu capitali peculio quæ convenietur ſuppeditari & impendi per dictos ſuſceptores, eorumque Socios, Dimidium ad minimum deſtinabitur & aſſignabitur *Scotis* in dicto hoc noſtro Regno, qui ſeſe *Aſſociabunt*, & *Subſcribent* dictæ *Societati*, ante primam Diem Menſis Auguſti, Anno *Domini*, Milleſimo Sexcenteſimo Nonageſimo Sexto: Et ſi contigerit, *Quod Scoti* in dicto hoc Noſtro Regno degen-

tes ante dictum Terminum non ſubſcribent & conficient dictum æquale dimidium prædictæ ſortis ſeu Capitalis Peculii, tunc & in eo Caſu, ſolummodo permittetur per præſentes, *Scotis* degentibus apud Exteros vel peregrinis *Aſſociari* ſubſcribere & aſſumi pro reliquo dicti Dimidii, & non aliter ; *Nec* non *Quota* dictæ Sortis ſeu Summæ quam Unuſquiſque habebit pro parte & qua capax erit ſeſe in dictam Societatem *Aſſociare*, ſive ſit Civis, ſive Peregrinus, ad minimum erit *Centum Libræ* Sterlinen', & pro ſumma ſeu Maxima Tria Millia Librarum Sterlinen', & non ultra directè ſeu indirectè quocunque modo, *Cum* poteſtate dictæ Societati habendi *Commune Sigillum*, idemque mutandi & renovandi ad Libitum cum aviſamento omnimodo *Leonis Regis Armorum*, Ac etiam de Lege agendi & proſequendi quin etiam proſequendi erunt, atque itidem acquirendi poſſidendi & gaudendi Dominiis, Terris, Tenementis, aliiſque bonis Realibus ſeu perſonalibus cujuſcunque Naturæ ſeu Qualitatis, eademque vel quamvis eorum partem Diſponendi & alienandi ad Libitum, Idque per Tranſlationes & Aſſignationes factas & in eorum Libris & Regiſtris inſertas, abſque ulla alia formalitate Legis. *Proviſo* omnimodo, *Quod* ejuſmodi portiones pro quibus primo ſubſcribetur per *Scotos* in dicto Noſtro Regno degentes, non erunt alienabiles ullis aliis niſi *Scotis* in dicto Noſtro

Noſtro Regno degentibus. *Quodque* dictæ Tranſlationes & Diſpoſitiones quoad Terras aliumque realem Statum (de iis ſolummodo factæ & per ſe) perficientur ſecundum Leges dicti Regni, de Diſpoſitione Terrarum & Jurium Realium. *Cum* poteſtate etiam dictæ Societati per Subſcriptiones vel aliter ut ipſis viſum fuerit colligendi commune peculium ſeu capitalem ſortem conſiſten' ex ejuſmodi pecuniarum ſumma vel ſummis ac ſubjectum talibus regulis, conditionibus ſeu qualificationibus prout Regulabitur & conſtituetur per dictam Societatem vel majorem ejuſdem partem ad initiandum, promovendum & ſupportandum dictum deſtinatum Navigationis Commercium, & quicquid aliud contribuere Poterit ad ejuſdem propagationem. *Atque* per præſentes Declaratur, quod dicta unita ſumma, ſeu capitalis ſors, nec ulla ejuſdem pars, neque ulla prœdia, ſeu bona realia aut perſonalia, Naves, bona, aliive effectus ad dictam Societatem ſpectan', nullo modo ſubjecta erunt Confiſcationi, Capturæ, Forisfacturæ, Attachiamento, Arreſto, ſeu impedimento cujuſcunque Naturæ, ob rationem Embargorum, Violationem Pacis, vel ob rationem *Literarum Martis* ſeu repriſaliæ, Declarationem Belli cum quovis externo Principe, Poteſtatibus ſeu Republica, vel ob quamvis aliam rationem ſeu prætextum quemcunque, ſed ſolummodo Transferabilia, Aſſignabilia, & alienabilia erunt, tali modo &

Methodo, & in talibus partibus & portionibus, & ſub talibus reſtrictionibus & regulis ac conditionibus, prout Statuetur & Determinabitur per dictam Societatem ſcripto in eorum Libris Archivis, & Regiſtris inſerendo ; dictæque Tranſlationes & Aſſignationes ſolæ & non aliæ Transferent jus & Proprietatem dicti communis Peculii, & Capitalis ſortis & effectuum ejuſdem ſupraſcript' & uniuſcujuſque partis; excipiendo omnimodo prout ſupra excipitur. *Quodque Creditores* cujuſvis particularis Membri dictæ Societatis afficere poterint per realem dilgentiam, portionem Lucri ad Debitorem devenien' & ſpectan', abſque ulteriori jure ſeu poteſtate de parte & Intereſſe Debitoris in Sorte ſeu Capitali peculio aliter quam ſupra Statuitur ; *Cum* hac expreſſa proviſione, quod quæcunque Expenſa dicta Societas ſubibit per Lites quorumcunque Demortuorum Membrorum vel eorum Aſſignatorum, Creditorum, aliorumve in eorum juribus ſucceden', dicta Societas retentionem habebit, eorum expenſorum & ſumptuum in primo loco, Quinetiam Libri Archivi & Regiſtra dictæ Societatis vel Authentica ex iiſdem extracta & abſtracta per præſentes declarantur Bona fore & ſufficientia pro evidentiis in omnibus Curiis Judicatoriis & alibi. *Noſque* etiam cum aviſamento prædicto *Statuimus* & *Declaramus*, Quod dicti Joannes *Dominus* de *Beilhaven*, Adamus Cockburn de *Ormeſtoun* Dominus Juſticiarius Clericus, Magiſter

ſter Franciſcus Montgomerie de *Giffen*, Dominus Joannes Maxwell de *Pollock*, Dominus Robertus Cheiſlie Præſens *Præpoſitus* de *Edinburgh*, Joannes Swyntoun de *eodem*, Georgius Clerk nuper *Balivus* de *Edinburgh*, Magiſter Robertus Blackwood & Jacobus Balfour Mercatores de *Edinburgh*, Joannes Corſe Mercator in *Glaſgow*, Gulielmus Paterſon, Jacobus Foulis, David Nairne & Thomas Deanes Armigeri, Jacobus Cheiſlie, Jacobus Smith, Thomas Coutts, Hugo Fraſer, Joſephus Cohen D'Azevedo, & Walterus Stewart Mercatores *Londini*, *Atque* cum iis *Aſſociandi* vel per illos Aſſumendi modo ſupra mentionato, vel major eorum pars in dicta Societate congregata, omni tempore futuro per pluralitatem ſuffragiorum, Approbabunt, facient, conſtituent, ordinabunt & Ordinare poterunt omnes alias ejuſmodi Regulas, Sanctiones, & conſtitutiones quæ neceſſariæ erunt pro meliori Regimine & melioratione dictæ communis ſortis vel Capitalis Peculii in omnibus rebus eo attinentibus. *Quibus* quidem Regulis, Sanctionibus & Conſtitutionibus omnes è dicta Societate, tam directores quam membra ejuſdem, Gubernatores, aliique Officiarii Civiles ſeu Militares, aliique quicunque ſubjecti erunt, & per præſentes per eandem determinandi ſunt; *Atque* etiam adminiſtrare poterunt & etiam dare juramenta de *Fideli*, aliaque requiſita ad adminiſtrationem dictæ Sortis &

Soci-

Societatis. *Et ulterius dictæ Societati* per præſentes Poteſtas committitur Ornandi,emittendi, onerandi, & Navigandi eorum proprias vel conductas Naves ſimili modo prout ipſis viſum fuerit, *Idque* pro ſpatio Decem Annorum poſt datam Præſentium, Non obſtante *Acto Parliamenti* in Anno Milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo, cui Titulus eſt, *Actum pro Propaganda Navigatione*, cum Conſenſu prædicto Diſpenſamus pro dicto ſpatio ſolummodo in favorem dictæ *Societatis*. (*Idque* à quovis portu, ſeu loco hujus Noſtri Regni, vel à quibuſvis aliis portubus ſeu locis in amicitia vel non in hoſtilitate nobiſcum more bellico aliove) ad omnes quaſcunque Terras, inſulas,Regiones ſeu loca in *Aſia*,*Africa*,vel *America*, *Atque* itidem Colonias plantare, Civitates, Urbes, & Munimenta ædificare ſuper locis non habitatis, vel in quovis alio loco cum conſenſu Nativorum & Incolarum ejuſdem & non poſſeſſo per quemvis Principem, Poteſtates, ſupremum ſeu *Statum Europæ*, Ac etiam providere & ſuppeditare dicta loca, Civitates, Urbes, & Munimenta cum proviſionibus bellicis, Machinis, Armis, Telis, Apparatu, aliiſque Rebus Bellicis, atque vi Armorum, eorum Commercium & Navigationem Colonias, Civitates, Urbes, Munimenta & Plantationes aliaſque ſuas res quaſcunque defendere, ac etiam repriſalias facere, atque etiam requirere & ſumere reparationem damnorum Mari vel

Terra

Terra illatorum, ac facere & concludere Tractatus Pacis & Commercii,cum ſupremis Principibus, Ordinibus, Gubernatoribus, Regentibus & Proprietariis dict' Terrarum, Inſularum, & Regionum ac Locorum in *Aſia*, *Africa*, ſeu *America*. *Proviſo* omnimodo, ſicuti per præſentes ſpecialiter Providetur, quod omnes Naves ab ipſis utendi ad hoc noſtrum *Regnum* redeant cum ſuis bonis & effectibus ſub pæna Confiſcationis, Forisfacturæ, & Capturæ Navis & bonorum ſi ante ſuum reditum Onus ſeu bona in Navi diminuent (vulgo *Break-Bulk*) *Excepto* omnimodo in Caſu Neceſſitatis, præſervanda Nave, Nautis,& Onere ſolummodo. *Noſque* itidem cum conſenſu prædicto ulterius *Statuimus* & *Ordinamus*, quod non Licebit ullis ſubditis dicti Regni Commercium habere ſeu Navigare ad quaſvis Terras, Inſulas, Regiones, ſeu loca in *Aſia* aut *America* quovis tempore futuro,neque in *America* pro ſpatio triginta unius Annorum computando à Die quo expeditur dictum *Actum Parliamenti*,abſque Licentia & permiſſione Scripto à Dicta Societate; *Certificando*, omnes qui in contrarium hujus facient,*Quod* perdent & amittent Tertiam Partem Navis vel Navium atque Oneris vel Onerum aut valoris ejuſdem, Cujus Dimidium Nobis tanquam *Eſchætam*, & aliud Dimidium in uſum & Commodum dictæ Societatis, Et pro efficaci Executione ejuſdem, Licitum erit dictæ Societati, iiſque qui ab ea erunt Commiſſionati

missionati dictas Naves & bona capere in quovis loco Asiæ vel Affricæ vel Mari circa Littora Asiæ vel Affricæ ob Transgressionem prædictam vi Armorum & Brevi Manu; Idque sine periculo incurrendi quodvis crimen vel delictum qualecunque propter dictam Capturam vel aliquod necessariò commissum in prosecutione ejusdem, *Excipien'* omnimodo & absque præjudicio quibusvis Subditis Nostris Commercium habere & Navigare durante dicto spatio ad quamvis partem Americæ, ubi Coloniæ, Plantationes & Possessiones dictæ Societatis non erunt fixæ. Et ulterius per præsentes *Statuitur*, quod dicta Societas Liberum & Absolutum jus & Proprietatem habebit tantum (*Tenen' & Haben'* de Nobis Nostrisque Regiis Successoribus pro sola Recognitione eorum Fidelitatis, *Reddendo* annuatim dolum Nicotianæ Nomine *Albæ Firmæ* si petatur tantum) In & ad omnes ejusmodi Terras, Insulas, Colonias, Civitates, Urbes, Munimenta & Plantationes, quas ipsis contigerit Stabilire & Possidere modo Suprascripto, Ac etiam ad omnes cujuscunque generis Thesauros, opes, Divitias, Lucra, fodinas, Mineralia & Piscationes, cum integro proventu & beneficio ejusdem tam sub Terra quam supra Terram, & tam in Fluviis & Maribus quam in Terris eo Spectantibus vel propter seu ratione eorundem quovis modo, una cum jure Gubernationis & Admiralitatis ejusdem, *Quodque* dictæ Societati

Licitum

Licitum erit virtute preſentium concedere & Delegare talia jura, proprietates, poteſtates & immunitates, atque permittere & Approbare tale Genus Commercii Mercaturæ & Navigationis in eorum Plantationes, Colonias, Civitates, Urbes & Loca Poſſeſſionum, prout dictæ Societati de tempore in tempus aptum & conveniens videbitur. Cum poteſtate iis imponendi & exigendi ejuſmodi Vectigalia aliaque Tributa à ſeipſis aliiſve Commercium habentibus cum dictis Plantationibus, Civitatibus, Urbibus, Locis & Portubus eorundem prout Societas neceſſarium judicabit pro ſe Suſtinenda aliiſque publicis uſibus ejuſdem; *Tenen'* omnimodo & *Haben'* omnia præmiſſa de Nobis Noſtriſque Succeſſoribus *Regibus Scotiæ* tanquam Supremis ejuſdem, *Et* reddendo ſolummodo pro iiſdem recognitionem Fidelitatis cum Dolio Nicotianæ annuatim, Nomine *Albæ Firmæ* ſi petatur tantum, pro omni alio Onere, Servitio, Quæſtione, ſeu demanda quacunque: Cum Poteſtate & Libertate dictæ Societati Tractandi atque procurandi & acquirendi ejuſmodi jura, Libertates, Privilegia, Exemptiones aliaſque conceſſiones quæ utiles erunt pro ſuſtinendo, promovendo & ampliando eorum Commercio & Navigatione à quovis externo Principe ſeu Poteſtatibus quibuſcunque in amicitia Nobiſcum, pro quibus Generales Tractatus Pacis & Commercii inter eos & ejuſmodi Principes, Poteſtates, vel *Status* erunt in Sufficientem Securitatem

ritatem, Jus & Authoritatem: Et ſi contra dicta jura, Libertates, Privilegia, Exemptiones, Conceſſiones & Contractus, quævis Navis bona, Merces, Perſonæ & alii Effectus quicunque ad dictam Societatem ſpectan' detineri, ſiſti, ſubduci vel auferri contigerint, vel ullo modo præjudicari aut damno affici, *Nos* promittimus Authoritatem Noſtram interponere pro Reſtitutione, Reparatione & Satisfactione facienda pro damnis illatis, Idque ex publicis Sumptibus quos in hunc effectum expendi & perſolvi Curabimus. *Inſuper* per præſentes *Statuitur*, quod omnes Naves, Naviculæ, Merces, bona, aliive effectus quicunque ad dictam *Societatem* Spectan' Libera erunt ab omnibus cujuſcunque Naturæ reſtrictionibus vel Prohibitionibus & ab omnibus Vectigalibus, Taxationibus, impoſitionibus, Suppeditationibus aliiſque Tributis impoſitis, ſeu imponendis per *Actum Parliamenti* vel aliter durante ſpatio Viginti unius Annorum, *Exceptis* omnimodo integris Tributis Nicotianæ & Saccari quæ non erunt de proventu Plantationum dictæ *Societatis*. *Et ulterius Statuitur*, quod dictæ Societati Licebit per Commiſſionem ſub Communi ſuo Sigillo, vel aliter prout Societas Ordinabit facere & conſtituere omnes & ſingulos ejus *Directores*, Gubernatores & Imperatores. Summos alioſque Officiarios Civiles vel Militares Maritimos ſeu Terreſtres, Ac etiam dictæ Societati licebit conſcribere colligere contrahere & retinere

omnes

omnes ejuſmodi Subditos dicti Noſtri Regni, alioſque quoſcunque qui volenter conſentient ſeſe aſcribere in eorum Servitio & Stipendio; *Proviſo* omnimodo quod non colligent neque conſcribent ullos tanquam Milites in hoc Noſtro Regno abſque licentia & Warranto prius obtento, à Nobis, vel Secreti Noſtri Concilii Dominis, In *quos* quidem Directores, Gubernatores, Imperatores Summos alioſque Officiarios Civiles ſeu Militares, alioſque quoſcunq; in eorum Servitio & Stipendio, *Societas* poteſtatem Imperium & Diſpoſitionem habebit tam in Mari quam Terra. *Et ultra Statuitur*, Quod nullus Officiarius Civilis ſeu Militaris vel alius quicunque in dicto noſtro Regno, imprimet, fovebit, ſiſtet aut detinebit quævis Membra, Officiarios, Servos, alioſve quoſcunque ad dictam Societatem Spectan', & ſi dicta Societas, ejuſve Officiarii vel Negotiorum Geſtores invenient ſeu intelligent quævis ejuſdem membra, Officiarios, Servos, alioſque Suprascriptos imprimi, ſiſti aut detineri, dictæ Societati per preſentes jus & Authoritas tribuitur capiendi & Liberandi dictam Perſonam detentam aut impreſſam in quovis loco dicti Noſtri Regni in Terra vel Mari; Omneſque Noſtri Magiſtratus aliique Officiarii Noſtri Civiles aut Militares, omneſque alii per præſentes in reſpectivis ſuis Stationibus *Requiruntur* Opem & auxilium præbere dictæ Societati, ſub pœna quod erunt obnoxii omni damno, præ-

judicio

judicio & detrimento dictæ Societati ob neglectum dictarum Personarum, *Et ulterius* quod dicta Societas, omnia Membra, Officiari, Servi aliique ad eandem Spectan' Liberi erunt tam in personis quam prædis & bonis in dicto Commercio & Peculio collocatis ab omnibus cujuscunque Generis Taxationibus, Impositionibus (vulgò *Cesses*) supplementis, Excisis, Militum locationibus transientibus seu localibus, vel Militum Conscriptionibus, aliisve impositionibus quibuscunque, Idque durante Spatio Viginti Unius Annorum, *Et denique* omnes qui in dicta Societate rem habent vel habebunt per præsentes *Declarantur* Liberi Cives seu Denizones dicti hujus Nostri Regni, *Quodque* illi omnesq; qui sedes ponent vel nati erunt in quavis dictarum Plantationum, Coloniarum, Civitatum, Urbium, Factoriarum aliorumque locorum per dictam Societatem acquirend' & possiden' æstimabuntur tanquam Cives Natales dicti Nostri Regni & Privilegia ejusdem habebunt, *Et Generaliter* absque Prejudicio Specialitatibus prædictis, *Nos* cum consensu prædicto Damus & Concedimus dictæ *Societati* omnem Potestatem jura & Privilegia quoad eorum Personas, Regulas, *Statuta*, Prædia, bona & Effectus quoscunque quæ de Lege conceduntur *Societatibus* qui admittuntur erigi pro Manufactoriis, sive quæ concedi solent in quovis alio Civili Regno seu Republica cuivis Societati ibidem erectæ pro Mercatura & Commercio. *In cujus Rei*

Testi-

Teſtimonium & Majorem præmiſſorum Solennitatem præſentibus *Magnum Sigillum Noſtrum* appendi præcepimus. *Apud Edinburgum* Vigeſimo Sexto Die Menſis Junii, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Nonageſimo Quinto, & Anno Regni Noſtri Septimo.

Per Actum Parliamenti Regni Scotiæ.

Written to the Great Seal, *and Regiſtrat the firſt of* October 1695.

Dun. Ronald, *Dep.*

Sealed at Edinburgh *the firſt day of* Octob. 1695.

Jo. Dickſon.

F133376